PROCERES, PATRONOS, ET FAUTORES REI LITERARIAE AD CELEBRANDUM NATALEM CIX GYMNASII CASIMIRIANI

QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

IO. CONRADVS Schwartz/

ELOQVENTIAE ET GRAECAE LINGVAE PROF. PVBL. ORD. ET ALUMNORUM DUCALIUM SUBINSPECTOR.

Google

SI quis errores, quos veteres & recentiores ſectæ propugnarunt, curate intueatur; non dubito, quin identidem miretur, & incidere primum potuiſſe in eos homines, & alios in eandem pertractos eſſe veſaniam. Cum enim omnis error aut in præpropero perverſoque ſenſuum judicio, aut in coniunctione rationum a rerum natura diſſidentium conſiſtat: miraculum eſt, homines, non dico ſanitatis laudem aucupatos, ſed indubio quaſi iure ac poſſeſſione nixos, nec ſenſuum vi, nec rationis uſu quicquam valuiſſe, quamvis valere tum ſibi viderentur, tum aliis. Si raro & quaſi furtim tantum rerum naturam ſenſibus explorare liceret, ſi nulla ſuppeditarent veri noſcitandi ſubſidia, ſi nullus huc naturæ inſtinctus nec Dei præceptum invitaret, ſi nullum cuiusquam ſani exemplum illectaret: facile nos quidem ignoſceremus, quod homines ad probanda ſenſuum ludibria, ad rationes diſtortiſſimas ridicule coniungendas properarent. Nunc vero quum veritas blanda ſui conciliatrix ſit, quum multæ & munitæ ad illam ferant viæ, quum perpetua eius cognoſcendæ poteſtas detur, quum ingenia magna præluxerint exemplum eius quærendæ, quum felicitas tantopere expetita, tantopere commendata omnes huc ducat, trahat, ſtimulet; homines pleroſque fugiſſe & invitamentis tam ſalubribus reluctatos eſſe, vix ſuis quisque oculis ita credit, ut non aut calumniari ſectas illas aut ſibi delirare videatur. Cauſæ tanti mali a multis ſunt exquiſitæ, a multis propoſitæ. Neque enim fere quisquam eſt indagandæ veritatis magiſter, quin cauſas aliquas declaret, quæ veritatis ſtudium & curam præpediant. Sed alii tamen alias expromunt. Cum enim philoſophi educationem, pigritiam, autoritatem, & ſimilia, in crimen vocent; Theologi præterea in philoſophorum ſectas invehuntur, qui

decre-

decreta ſua ſcripturis divinis admiſcentes ſana omnia vel obſcurent vel corrumpant. Nemo quidem usquam eſt, quin eam rem vel temporum noſtrorum teſtimonio victus, vel hiſtoricorum veterum fide monitus, plane ſibi perſuadeat. Nam ex quo philoſophia multos nacta eſt novatores, qui partim pulcerrime ſtarent, partim in officio turpiter claudicarent: a philoſophia libido illa commutandi ad Theologiam traducta eſt. Hinc illa extiterunt opinionum portenta, quæ vix ulla diligentia & arte poſſunt averruncari. Parum nuper abfuit, quin Deo O. M. principium malum ex Manichæorum diſciplina adjungeretur, illam unam fortaſſe ob cauſam, ut Deus, quem conſiliis, verbis & factis quotidie videmus offendi, etiam inſanis commentis cruciaretur. O nefariam pravitatem & abominandam.

Σιγᾶν ἄμεινον τἄσχρά. μηδὲ μοῦσά μοι
Γένοιτ' ἀοιδὸς, ἥτις ὑμνήσει κακά. *

* *Euripid. Troad, v. 383*

Etenim

Ἀχαλίνων ςομάτων
Ἀνόμυ τ' ἀφροσύνας
Τὸ τέλος δυςυχία.
Ὁ δὲ τᾶς ἡσυχίας
Βίοτος καὶ τὸ φρονεῖν, ἀσά-
λευτον μένει, καὶ συνέχει
Δῶμα. πρόσω γὰρ, ἀλλ' ὅμως αἰθέρα ναί-
οντες, ὁρῶσιν τὰ βροτῶν οὐρανίδαι.
Τὸ σοφὸν δ' ὐ σοφία.
Τό, τε μὴ θνητὰ φρονεῖν,
Βραχὺς αἰών. ἐπὶ τούτῳ
Δέ τις ἂν μεγάλα διώκων,
Τὰ παρόντ' οὐχὶ φέρει.
Μαινομένων οἵδε τρόποι,
Καὶ κακοβούλων παρ' ἔμοίγε φωτῶν. **

** *Euripid. Bacch. v. 385 ſeqq.*

Me-

Memini equidem, patronum Manichæorum concedere, ex malorum tantummodo ratione & copia, nequaquam ex idea Dei malum principium acriter defendi poſſe. Sed vereor, ne in ſcyllam incidat, dum charybdim evadere vult videri. Nam qui peccatum ab autore bono proficiſci & permitti potuiſſe negat, is, quamvis duos deos rationi repugnare clamet, tamen aut malum deum bono comitem adjungit, aut omne peccatum de mundo tollit, aut denique manifeſtiſſime inſanit. Cum enim malum multas res huius mundi multum affiixerit, nec tamen, ex quo Deus bonus rerum ſummæ præeſt, naſci potuerit: aut æqualis deo bono malus mali autor iudicetur, oportet, aut malum inter abſurdiſſima commenta numeretur. Sed vereor, ne tantæ repugnantiæ parenti indulgentiſſimo & patrono optimo filia unica Impudentia & libertæ Inſania communi impenſa monumentum ponant LL. VV. M. Quanquam igitur & admiror & amo doctiſſimorum virorum conatus & merita, qui in arcem cauſæ, quam Bælius talem videri voluit, acri animo infeſtiſſima ſigna intulerunt: tamen propter eas, quas dixi, rationes in pravum illum deum acies maxime eſt inſtruenda. Nam ſi ſubdititius eſſe deus malus demonſtretur; tum eodem tempore omnes malorum legiones & magni tribunorum ducumque ſpiritus debellati fuerint. Quomodo enim pro eo quisquam propugnare queat, quem veritas de illo dignitatis gradu deturbavit, in quo eum Manetis error & vecordia collocavit. Ego igitur Manichæorum principium malum Dei nomine & opinione non eſſe honeſtandum, ſic probari puto. Manichæorum deus dicitur malus. Malum autem quid tandem aliud eſt, niſi penuria bonæ qualitatis in ea re, cui bona qualitas ineſſe debet. Et quoniam malum illud Manetis principium, tanquam fons omnis mali, ſumme malum eſſe intelligitur, ſummum au-

tem

tem malum in penuria omnis bonæ qualitatis ponendum eſt: proclive jam eſt intellectu, quum exiſtere & eſſe numero bonarum qualitatum contineantur, deum malum nec exiſtere nec eſſe unquam potuiſſe. Si frigidiſſimum ignem appellaveris; nomina rerum disjunctiſſimarum & inter ſe capitaliter confligentium junxeris. Nihilo magis Dei & mali nomina inter ſe conciliari poſſunt, quam ignis & frigus. Agedum, copioſius id demonſtremus. Deus eſt mens interminatâ bonorum ubertate florentiſſima. Malum eſt omnis boni inopia & omnium miſeriarum officina. Malus igitur deus fruetur interminata bonorum copia, & omnibus tamen ſimul miſeriis cum ipſe excruciabitur, tum alios excruciabit. Aggrediemur idem iſtud principium alia via. Deus malus, ut Manichæi & fatentur & omnium profeſſione dignum iudicant, eo utitur quaſi quodam inſigni, ut corrumpat & perdat. Corrumpere autem valet idem, quod diſſolvere & infirmare ſuos cuiusque rei nervos & virtutem. Enervare porro & infirmare eſt proprietas naturæ, cui principia corruptionis domeſtica ſunt & penitus inſederunt. neque enim ullius rei ſitum & ordinem partium deſtrueret aut virtutem diſſiparet, ſi amice cum ea conſpirare poſſet, ſi conſervatio eius ita naturæ ſuæ jucunda foret & conſentanea, uti bono inveteravit iuvandi ſervandique ſtudium. Quod enim Euripides meus *Iphigen. in Aulid. v.* 983 bonis viris tribuit,

Igitur Stoici [illegible] κακοῦ [illegible] nihil habere mali poſſe. [illegible] VII ſq. 147.

Ἀλλ᾽ οὖν, inquiens, ἔχει τι σχῆμα, κἂν ἀπωθεν ᾖ
Ἀνὴρ ὁ χρηστὸς, δυστυχοῦντας ὠφελεῖν,

Verum tamen probabile eſt, virum bonum, quamvis alienus ſit, infelicibus opitulari: id ad omne bonorum genus transferri poteſt. Quicquid autem ſemina corruptionis penitus habet inſita, nequaquam infinitis eſt inſtructum viribus. Nam infini-

tæ

tæ vires, quia nullis circumſcriptæ ſunt terminis, virtutem ſuam cum omnibus, quæ attingunt & penetrant, largiter communicant. E viribus enim non niſi vires manare poſſunt, & quæ vires undique circumvallant, undique circumplectuntur, undique permeant, eæ nihil debilitant nec perdunt. Sequitur igitur iam illud, ut quod infinitis non pollet viribus, ei negemus æternitatem. Aeternitas enim ab infinita virtute pendet: quod alibi demonſtravimus. Negata autem & detracta malo deo æternitate, divina iam detracta eſt dignitas. Et quia a bono deo productus non eſt, nec produci potuit; nullus eſt. Sed quid ceſſâmus? quin tandem ex Manete veritatem, quaſi fidiculis quibusdam adhibitis, exprimimus? Cur non ſic hominem accipimus? Heus Manes, bone vir, nec tu nec ea, quæ vides, unquam extiterunt. Quum enim Deus ille noſter bonus & tuus malus per naturam disſideant, æquales ſint, &, ut tu quidem vis, pari robore valeant: eo ipſo temporis puncto, quo noſter bonus te producere cogitavit, malus iam abſorpſit, ad nihilum redegit. Diſſidentium enim cauſarum, in pari arte & opibus, diverſiſſimas eſſe optationes, conatus, effectus, apertum eſt. Quodſi Manes eorum ſcepticorum, quos indocti quidam & inepti fingunt, non augere velit numerum, & conſcientiam ſibi ineſſe dictitet ſui, terræ, cœli, quæ ortum & nacta ſint & adhuc contra interitum tueantur: non poterit ullo pacto diffiteri, plus poſſe bonum deum, minus malum; & iccirco mali præ bonó erubeſcendam eſſe conditionem. Sin ad Euripidis illud *Iphigen. in Taur. v. 114* confugere volet,

Τοὺς πόνους γὰρ οἱ 'γαθοὶ
Τολμῶσι· δειλοὶ δ' εἰσὶν οὐδὲν οὐδαμοῦ.

boni plurimum laboris ſuſcipiunt, improbi pene nihil, nihilo minus conſtrictum tenebimus erroris conſcientia. Nam cuius voluntas viribus non reſpondet, ne is ſecum ipſe pugnat, & a Dei perfecti-

one

one longiſſime abeſt. Omnia enim Dei ſunt inter ſe mirifice congruentia. Imo ne deum quidem ſuum exiſtere potuiſſe, fatendum erit Manichæo; ſi meminerit, bona omnia per naturam inclinari ad conſervationem ſui; mala vero, quanquam ſpeciem amoris erga ſeſe affectent, tamen ad exitium ſui pariter & aliorum trahi. Quod autem conſervationi ſui nihil omnino proſpicit præſidii, nec proſpicere poteſt, eius ortus neceſſarius non fuiſſe perſpicitur ex eo, quod neceſſitas ortus exuperantiam vitæ importat, quæ nulla, nec inteſtina nec externa, vi queat extingui. Talis autem exuperantia vitæ cum a ſumma virium copia divulſa eſſe nequeat, vires autem tantas malo principio natura mali prorſus deneget, ut initio dixi: æqualis Deo bono malus iſte ne fingi quidem poteſt. Quodſi autem ætate multo eſt inferior, nec a deo bono, quum iam omnia bonis ſuis occupaſſet, creari potuit; nunquam usquam cooriri cœpit. Sed quia iam toties portum conſpeximus, quem expetieramus: Deo portus præſidi ſacra faciemus.

Multi cum ſuperiora tum hæc noſtra tempora errores, vitia, peſtes conſpurcarunt & oppreſſerunt: ſed Deus tanta nos gratia complexus, tanta diligentia tuitus eſt, ut e longinquo tantum aliorum conſpiceremus miſerias. Floruerunt apud nos pro ſumma eius in nos voluntate bonæ ſcientiæ, bonæ artes & virtutis ſtudium. Conſuluerunt Sereniſſimi Nutritores ac Domini noſtri rationibus huius Gymnaſii optime, ut nihil de vetere eius ſplendore detraheretur & gratia. Providerunt boni viri (continetur autem tantum nomen innumerabilibus officiis) ea omnia, quæ bonas literas decore quovis augere valeant. Præter hæc tanta et tam multa beneficia, plurima alia non minora nec pauciora Deo debemus boni omnis autori & ſtatori: ſed propter paginæ huius anguſtiam comme-

mo-

morari non poſſunt. Eundem parentem noſtrum benignisſimum oramus & obteſtamur demisſisſime, ut ſuo in nos amori ſaltem perpetuitatem addat, ſi minus amplificandum illuſtrandumque putarit. Cumulet Serenisſimam domum Saxonicam omni ſplendore, ſapientia, gratia, majeſtate; conſtabiliat autoritatem & in literas beneque de literis meritos benevolentiam Procerum ac Scholarcharum gravisſimorum; ornet doctorum animos & proſperet conata; omnibus denique omnia bona & ſalutaria provideat. Sed hæc, quæ optamus unice, orationi ſubiiciemus noſtræ de origine mali. Nam etſi nos non præterit, quanti viri quam curate & copioſe de malo diſputarint, tamen, ut alias aliarum rerum, ita mali quoque conſideratio nobis felicius cesſiſſe videtur. Ad quam orationem ut vos, Cives optimi, frequentes confluatis, & mecum pro ſalute Gymnaſii noſtri vota ſuſcipiatis, hortamur ac præcipimus. P. P. a. d. V Non. Quinctil. Ann. CIƆIƆCCXIII.

Digitized by Google